

# CLEMENTINARUM LIBER TERTIUS.

DE VITA ET HONESTATE CLERICORUM. DE PRÆBENDIS ET DIGNITATIBUS.

## TITULUS PRIMUS.

I. CLEMENS V. in Concilio Vienenfi. [an. 1311. in Gallia.]

*Punit Clericos conjugatos & alios personaliter, & publice carnificum & tabernariorum officium exercentes, qui per Diœcesanos nominati & tertio moniti, illud officium non dimittunt, vel dimissum reassumunt. Excitant etiam Diœcesanos contra illos Clericos, qui seculares actus exercent.* Joannes Andreas.

<sup>a</sup> Vide Conc. Trident. sess. 22. de reform. c. 1. & Bernardinum Diaz. in Prac. Crim. Can. c. 63.

**D**IOECESANIS<sup>a</sup> locorum districtè præcipimus, ut Clericos carnificum seu macellariorum aut tabernariorum officium publicè & personaliter exercentes, nominatim & tertio monent, ut sic ab hujusmodi officiis intra convenientem terminum momentum ipsorum arbitrio moderandum desistant, & quòd ipsa nullo unquam tempore reassumant. Qui si taliter moniti, ab his non desierint, aut ipsa, ut præmissum est, exercendo retulerint quandoque, conjugati omnino, non conjugati verò in rebus: & si omnino incedant ut Laici, in personis privilegium Clericale, quamdiu præmissis insisterint, eo ipso amittant. Adversus verò alios Clericos negotiationibus vel commerciis secularibus vel officiis non convenientibus Clericali proposito publicè insistentes, vel arma portantes, sic Canonica servare studeant instituta, quòd & illi ab excessibus compescantur hujusmodi, & ipsi de damnabili circa hæc negligentia nequeant reprehendi.

## II. IDEM.

*Præmissis exordio, punit primò Clericos beneficiatos, utentes publicè virgata vel partita veste. Secundò, Subdiaconos, & Diaconos. Tertio omnes Clericos tonsuram publicè cum tali veste portantes. Quarto, habentes dignitatem, personatum, beneficium curatum, & Sacerdotes & Religiosos publicè portantes talem vestem vel insulam. Quintò, punit omnes prædictos, utentes tabardo notabiliter brevi, integrè foderato. Sextò, certas caligas Clericis interdicit.* Joannes Andreas.

<sup>b</sup> Hanc constitutionem innovat & ampliat Concilium Trident. sess. 14. de reform. c. 6.

**Q**UONIAM<sup>b</sup>, qui abjectis vestibus proprio congruentibus ordini, alias assumere & in publico portare rationabili causa cessante præsumit, professorum illius ordinis prærogativa se reddit indignum: præsentem constitutionem sancimus, quòd quicumque Clericus virgata vel partita veste publicè utetur, nisi causa rationabilis subsit, si beneficiatus extiterit, per sex menses a perceptione fructuum beneficiorum, quæ obtinet, sit eo ipso suspensus. Si verò beneficiatus non fuerit, in facris tamen ordinibus citra Sacerdotium constitutus: per idem tempus reddatur eo ipso inhabilis ad Ecclesiasticum beneficium obtinendum. Idem quoque censemus, de Clericis aliis vestem talem simul & tonsuram publicè deferentibus Clericalem. Dignitatem verò, personatum, seu beneficium aliud obtinens, cui cura imminet animarum, necnon ceteri in Sacerdotio constituti ac Religiosi quilibet, quos oportet per decentiam habitus extrinseci, morum intrinsecam honestatem ostendere, si, præterquam ex causa rationabili, publicè vestem ferant hujusmodi, aut insulam seu pileum<sup>c</sup> lineum publicè portent in capite: sint eo ipso, beneficiati videlicet à perceptione fructuum beneficiorum, quæ obtinent, suspensi per annum: ceteri verò Sacerdotes & Religiosi quilibet, per idem tempus reddantur inhabiles ad quocumque beneficium Ecclesiasticum obtinendum. Sed & tales & ceteri quicumque Clerici utentes epitogio seu tabardo foderato utque ad oram, & ita brevi, quòd vestis inferior notabiliter videatur: epitogium ipsum seculares Clerici & Religiosi administrationem habentes, teneantur intra mentem dare pauperibus: ceteri verò Religiosi administrationem non habentes, intra idem tempus illud teneantur suis Superioribus assignare in pios usus aliquos convertendum. Alioquin beneficiati suspensionis, ceteri verò inhabilitatis poenas prædictas, per idem tempus se noverint incurrisse. Huic insuper adijcimus sanctionem, ut Clerici, præsertim beneficiati, caligis scaccatis<sup>d</sup>, rubeis, aut viridibus publicè non utantur.

<sup>c</sup> Al. pileum juvenum.

<sup>d</sup> PITH. Scaccatis. Gallicè, deschiquettes.

## TITULUS II.

I. CLEMENS V. in Concilio Vienenfi. [an. 1311. in Gallia.]

*Clasula inserta literis gratiosis super dignitate concessis, per quam provideri mandatur, ne animarum cura, si dignitati imminet, negligatur, vel per quam iubetur electionem fieri dignitatis: non facit exenti gratiam ad dignitatem curatam, vel ad quam quis per electionem assumitur.* Hoc dicit. Joan. And.

**S**I dignitatem habenti de alia provideri mandemus<sup>d</sup> dispensantes cum eo, ut simul utramque valeat retinere, de animarum cura, quæ illis vel alteri eorum imminet non habita mentione, gratia hujusmodi velut surreptitia nullius penitus est momenti: quanquam confectis super ea literis sit insertum, quòd animarum cura, si dignitatibus ipsis vel alteri eorum imminet, nullatenus negligatur. Ad hoc si alicui provideri mandemus, de dignitate ad cuiuscunque vel quorumcunque collationem, provisionem, seu quamvis dispositionem aliam in certa Ecclesia pertinente, quam intra mensem duxerit acceptandam: inhiabentes illi vel illis, ad quorum collationem, provisionem, seu electionem, dignitates in ipsa Ecclesia pertinere noscuntur, ne interim ad collationem ipsarum, seu provisionem procedant, vel quaquam eligant, ad eandem, de dignitate, ad quam consuevit quis per electionem assumi, impetranti non poterit provideri: cum in concessione gratiæ (ad quam non augendam, sed exequendam debent, que de inhibitione fequentur referri) nullam de electione fecerimus mentionem.

<sup>d</sup> De mandatis de providendo vide quòd novissimè fanevit Concilium Trident. sess. 24. c. 19.

## II. IDEM.

*Littera super provisione Clericorum non includunt hospitalia, & loca similia, & habentia jura spiritalia: nisi id exprimat.* Hoc dicit. Joan. And.

**P**ER literas à Sede Apostolica, vel Legatis ipsis super provisione quorumlibet Clericorum directas, de xenodochiis, leprosariis, elemosynariis, seu hospitalibus (etiam si Ecclesias vel capellas, decimas, aut alia spiritalia jura noscantur habere) nulli posse decernimus<sup>e</sup> provideri: Nisi hoc in Apostolicis literis caveatur expressè.

<sup>e</sup> Nota quòd hoc verbum facit novum jus: & hoc tenet Lenze.

## III. IDEM.

*Quo casu vacat una dignitas, per receptionem alterius, vacant etiam plures.*

**S**I plures<sup>f</sup> obtinens dignitates, aliam dignitatem aut beneficium curam animarum habens acceptet: dispensatione super hoc legitime non obtenta: ejus possessione adepta pacificè, dignitates, quas prius habebat ipso facto vacare censemus.

<sup>f</sup> Vide Conc. Trident. sess. 7. de reform. c. 4. & sess. 24. de reform. c. 17.

Sicut si dignitatem unicam obtinenti alia similis conferatur, ejus pacifica possessione habitæ, prima de jure vacaret.

## IV. IDEM.

*Valet provisio facta proprio motu Papæ tacentis beneficia provisè quacunque sint, & quocunque.* Hoc dicit. Joannes Andreas.

**S**I Romanus Pontifex de beneficio alicui motu proprio videat, de beneficiis, quæ obtinet non habita mentione: provisionem seu gratiam hujusmodi fore validam declaramus: qualiacunque fuerint beneficia, dignitates, aut personatus cum cura vel sine cura, & in numero quocumque<sup>g</sup>, quæ is habebat, cum sibi provisio facta fuit.

<sup>g</sup> al. quocunque.

## V. IDEM.

*Expectans beneficium, ad collationem Episcopi, devolutum ad illius Capitulum obtinere non poterit: devolutum tamen ad Episcopum, vel etiam ad Papam ex cuiuscunque negligentia poterit obtinere.*

**S**I de beneficio ad cuiuscunque Episcopi collationem spectante alicui conferendo scribamus: sibi illud conferri non poterit, cuius collatio ex negligentia ipsius Episcopi, ad ejusdem Capitulum devoluta existit. Licet provideri sibi possit de illo etiam, cuius ad ipsum Episcopum ex sui Capituli vel alterius cuiuscunque, sive ad nos ex ipsius Episcopi, & aliorum in hoc eodem succedentium negligentia collatio fuerit devoluta.

VI.

## VI. IDEM.

*Adeptus in Ecclesia dignitatem habentem præbendam annexam, perdit primam Præbendam, quam habebat in illa.* Hoc dicit. Joan. And.

<sup>h</sup> Nota quòd Archidiaconatus est dignitas. Vide Doctor. in ca. dimissus. de Presb. Archidiaconum, in c. 3. de consecr. l. 6. & Abbatem in ca. novis. de Judic.

**S**I juxta nostri formam mandati Canonatum & Præbendam Ecclesiæ Rutinensis adeptus, dignitatem, quam duxerit acceptandam ibidem expectet, Archidiaconatum<sup>h</sup> inibi post vacantem, non obtinente quòd certa sit sibi annexa Præbenda, poterit acceptare: Primæque Præbenda hoc ipso vacabit, quòd secundam cum Archidiaconatu prædicto pacificè fuerit affecturus.

DE CONCESSIONE PRÆBENDÆ, ET ECCLESIE NON VACANTIS.

## TITULUS III.

I. CLEMENS V. in Concilio Vienenfi. [an. 1311. in Gallia.]

*Decretum conditionale ante conditionis eventum non afficit potestatem Ordinarii, vel alterius Collatoris: secus quando acceptationi beneficij tempus adjicitur cum decreto. Et qui beneficium vacans ab Executore petit vel recipit, illud intelligitur acceptasse: quæ vacatio nota dicitur expediant, ex quo in loco beneficij publicè scitur.*

<sup>i</sup> Nota quòd promovendus ad beneficium, debet esse idoneus, de quo præter Doct. hic vide Canonistas in c. si eo tempore. de refer. l. 6. & in ca. ei cui. de Præbend. eod. lib. Abb. in c. adum. de Elect. & Fel. in cap. sit. de Præsumpt.

**U**M<sup>i</sup> ei, quem in scientia reputamus idoneum, si per inquisitionem Executoris sibi deputati à nobis repertus fuerit esse fide laudabilis, & conversationis honestæ de beneficio certi valoris alicui provideri mandamus adijcientes, quòd de beneficio minoris valoris possit eidem, si voluerit provideri, ac ex tunc etiam inane decernentes & irritum, si factus à quoquam quavis auctoritate contigerit attentari. Quia Decretum hujusmodi in eventum duntaxat prædictarum conditionum suum sortitur effectum: antequam extorset prima conditio, beneficium prætaxati valoris, & etiam minoris, priusquam suam impetrans super valore hujusmodi voluntatem declarat, conferri liberè poterit per Ordinarium, aut alium Executorem à nobis ad providendum de tali beneficio deputatum. Scus autem fore censemus, quum decreto appposito alicui provideri mandamus de beneficio, quòd intra mensem à vacationis ipsius notitia duxerit acceptandum: ut appositio mensis ejusdem aliquid afferat impetranti. Quin etiam beneficium, quòd acceptare poterat, petendo sibi per suum Executorem conferri, aut recipiendo sibi præsentem collatum: ipsum ex hoc acceptare, & collationem taliter sibi factam valere censemus. Ceterum, ut tam diuturnis vacationibus, quam fraudibus & litibus occurratur: prædictæ vacationis notitiam impetrantem interpretari habere, ex quo ipsa vacatio in loco, vel Ecclesia hujusmodi beneficii publicè nota erit. Imputet quidem sibi si hoc casu, quo de ipso commodo agitur, id quòd per se, vel per alium scire potuerit, ignoravit.

DE REBUS ECCLESIE NON ALIENANDIS.

## TITULUS IV.

I. CLEMENS V. in Concilio Vienenfi. [an. 1311. in Gallia.]

*Religiosus, qui concedit alicui ad vitam vel certum tempus jura, redditus vel possessiones administrationis cui præest, suspensus est ab officio, nisi duo concurrant: nec valet concessio. Duos casus excipit.* Hoc dicit. Joan. Andr.

<sup>k</sup> Propter exceptionem hujus verbi hæc Constitutio ab omnibus ut lex generalis est servanda, ut l. 3. c. de legibus. Bonifacius de Vital. <sup>l</sup> al. attentaverit.

**M**ONASTERIORUM, & aliarum administrationum regularium dispensandi occurrere cupientes, perpetuo prohibemus edicto<sup>k</sup>, ne quis Religiosus Monasterio, Prioratu, Ecclesiæ, seu administrationi cuivis prædictis, jura, redditus, aut possessiones ejusdem alicui ad vitam ejus, seu aliud certum tempus, pecunia etiam inde recepta quovis modo concedat: nisi necessitas aut utilitas Monasterii, Prioratus, Ecclesiæ aut administrationis hujusmodi hoc exposcat, Conventus sui, aut si Conventus non habeat, Prælati proprii, assensu ad hoc nihilominus accedente. Si quis autem contra hoc fecerit<sup>l</sup>, penam suspensionis ab officio eo ipso incurrat, nec ex concessione ipsius recipientis jus aliquid acquirat. Verum præmissa ad locationes vel etiam redditum aut fructuum venditiones, ad tempus modicum faciendas, declaramus ullatenus non extendi.

## II. IDEM.

*Episcopus univere potest Ecclesiam alteri, vel loco Religioso donare, etiam non vocato Rectore, vel Defensore.* Hoc dicit. Joannes Andreas.

**S**I una Ecclesia alteri Ecclesiæ, seu dignitati alicui vel Præbendæ per Episcopum, suo consentiente Capitulo univertur, ad Religiosum loco donetur, ex eo quòd Rector ipsius ad hoc vocatus, vel si vacabat, Defensor ei super hoc datus non extitit: nequaquam id poterit impugnari. Quòd si Episcopus Pars II.

(sui etiam Capituli accedente consensu) mensæ suæ vel ipsi Capitulo aliquam duxerit Ecclesiam unendam: hoc irritum esse decernimus & inane, contraria quavis consuetudine non obstante.

DE RERUM PERMUTATIONE.

## TITULUS V.

I. CLEMENS V. in Concilio Vienenfi. [an. 1311. in Gallia.]

*Collatio de beneficiis causâ permutacionis vacantibus facta alii, quam permutantibus, non tenet.* Hoc dicit. Joan. And.

**N**E concessione Juris utentibus præsertim circa spiritalia illudatur, si qua<sup>o</sup> beneficia ex causa permutacionis, ab aliquibus resignata, aliis, quam ipsis permutare volentibus conferantur, nullius hoc esse volumus firmitatis.

<sup>o</sup> In ostensionibus codicibus, etiam impressis consueverunt ita: si beneficia ex causa, &c.

DE TESTAMENTIS ET ULTIMIS VOLUNTATIBUS.

## TITULUS VI.

I. CLEMENS V. in Concilio Vienenfi. [an. 1311. in Gallia.]

*Ordinarius loci rationem exigit à Religiosis, etiam exemptis de testamentorum executionibus, quas gesserunt, & si circa id deliquerint, illos punit.*

**R**ELIGIOSIS etiam exemptis, deputatis ad executionem cujuslibet ultimæ voluntatis, circa ipsius executionis officium (quòd utique non possunt, nisi à Superiori suo petita super hoc licentiâ & obtentâ suscipere) volentes præcindere materiam delinquendi: Præsentis constitutionis auctoritate statuimus, quòd tales, etiam si prælationis fungantur officio, locorum Ordinarius debitam reddere, ipsique Ordinarii ab eisdem absque dolo, fraude seu negligentia de susceptæ executionis officio teneantur exigere rationem: illos, quos circa id deliquisse repererint, in aliorum exemplum poenâ debitâ, quocumque non obstante privilegio, puniunt.

## DE SEPULTURIS.

### TITULUS VII.

I. CLEMENS V. in Concilio Vienenfi. [an. 1311. in Gallia.]

*Execommunicati sunt etiam exempti, qui in casibus non permissis defunctos sepeliunt in cæmeteriis tempore interdicti: vel qui scienter sepeliunt execommunicatos publicè, nominatim interdictos, vel manifestos usurarios.* Joan. And.

**E**OS<sup>p</sup>, qui propria temeritate audaciâ defunctorum corpora, non sine contemptu clavium Ecclesiæ, in cæmeteriis interdicti tempore, in casibus non concessis à jure, vel execommunicatos publicè, aut nominatim interdictos, vel usurarios manifestos scienter sepelire præsumunt: decernimus ipso facto execommunicationis sententiâ subiacere: à qua nullatenus absolvantur, nisi prius ad arbitrium Diœcesani Episcopi eis, quibus per præmissa fuerit injuria irrogata, satisfactionem exhibuerint competentem: Nullo eis circa præmissa exemptionis, vel quovis alio privilegio, sub quocumque forma verborum concessio aliquatenus suffragante.

<sup>p</sup> De intellectu vide Decretum in ca. ad hæc. ext. de privi.

### II. IDEM in Eodem.

*Pars, quæ titulum respicit, hoc intendit: Prædicatores & Minores in locis suis liberè sepeliant illos, qui hoc liberè elegerint. De funeralibus tamen, & quibuscumque obventionibus & relictis, etiam de quibus aliis non debetur Canonica, quartam & non ultra solvent Ecclesiæ parochiali.* Hoc dicit. Joan. And.

**U**DUM à Bonifacio Papa VIII. prædecessore nostro infra scripta edita Decretali, Benedictus Papa XI. prædecessor noster aliam illius revocatoriam promulgavit: quæ quia, ut probavit effectus, nedum pacis ab auctore ipsius speratæ fructum non attulit, quin imò discordiæ, pro qua sedanda processerat, fomentum non modicum ministravit: nos eam omnino cassantes, aliam à præfato Bonifacio editam, sacro instante & approbante Concilio innovamus, subjicientes tenorem illius, qui dinoscitur esse talis: Bonifacius Episcopus servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam. Super Cathedrali præminentiæ Pastoralis divina disponente clementia constituti: etiam multis & arduis, quæ in amplum Romanæ curiæ alveum undique confluent, quali torrens, prægravemur negotiis; curis excitetur innumeris, cogitationibus plurimis distrahamur: circa id tamen ferventibus<sup>q</sup> votis intendimus, vacuum instantibus, ac operose studium sollicitudinis impartimur, ut ad divini nominis<sup>r</sup> gloriam, exaltationem Catholicæ fidei, & profectum fidelium animarum (præcisiss radicibus diffidorum veribus, & litigiorum anfractibus omnino subductis) inter Ecclesiarum Antistites, ad curam & regimen gregis Domini

<sup>q</sup> al. frequentibus. <sup>r</sup> al. numinis.